



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Corpus Doctrinae Christianae

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1572

VD16 M 2890

De Invocatione, Precatione, Et Gratiarvmactione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36094

DE INVOCATIONE, PRECA, ET GRATIARUM ACTIONE,
 gratiarum actionis, non de merito, seu propitiatione pro peccatis, quia expresse dicit: Offerimus pro patribus, Prophetis & Apostolis, videlicet gratiarum actionem, sicut verum est, semper in cetera Domini hac faciendam esse ordine, publice & privatim. 1. Proponendam esse doctrinam de beneficijs Christi, de poenitentia & fide. 11. Secundo, Faciendam esse inuocationem. 111. Tertio, Summationem, qua fides confirmetur in conuersis, qui statuant, vere sibi applicari beneficia mediatoris. Et in eo exercitio fidei summo habet rationem Sacramenti, quia accipit beneficia Dei. 1111. Quarto accedat gratiarum actio publice & priuatim de toto beneficio redemptionis & collectionis Ecclesiae, & de alijs beneficijs, spiritualibus & corporalibus. Ideo vetultas vsa est nomine *uoxagias*. Sed prius intelligenda est ratio Sacramenti.

DE INVOCATIONE, PRECA, ET GRATIARUM ACTIONE.

QVID EST CVLTVS DEI?

RESPONDEO. Est opus à Deo mandatum, factum in fide, id est, vera agnitione & fiducia mediatoris, quod referatur ad honorem, ut Deo tribuatur honos, id est, ut testemur, hunc vere esse Deum, quem sic colimus, & cum sic velle coli. Sit igitur regula cultum Decalogus recte intellectus, iuxta dictum Ezechiel. 20. In praeceptis meis ambulate, non in praeceptis patrum. Et in prima tabula praeceptum de inuocatione praecipitur, iuxta dictum: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruias.

QVID EST INVOCATIO seu adoratio?

EST aut petere à Deo propter mediatorem bona necessaria, aut pro beneficijs Deo aut mediatori gratias agere. Quod vero aliud tertium genus adiungunt, celebrare laudes Dei, id spargunt in illa duo genera, aut certe est doctrina ostendens quid & qualis sit. Quasi quis vult esse tertium genus non repugno.

QUOMODO FACIENDA EST inuocatio seu petitio?

SATIS intelligi potest, alium motum in corde esse, petere ut nobis aliquid detur: alium, latari accepto beneficio. Primum agitur discatur, quomodo facienda sit petitio. Ac turpis negotiatio est, cum de ceteris virtutibus tam multa & scripta & disputata sit, de vera precatione, quae est summa virtus, minus cogitari. Necessaria

autem præcipue sex rerum consideratio. 1. Primo cogitan-
dam est, Quid & quem Deum, vbi patefactum inuoces, ut discernas
nam inuocationem ab Ethnica. Ideo Iohannis 4. scriptum est: Vos
adoratis quod nescitis: Nos adoramus quod scimus. **V L R**
Deus nos intelligere in precatione, quid agamus, & quid inuocemus.
Vale se verum Deum à comicatitij's numinibus discerni. Ideo di-
ctum est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruias. Vult
non vagari cogitationes nostras, ut uagatur Hecuba apud Euripi-
dem: O Iupiter, quicquid es, siue hoc cælum, siue mens, quæ vehitur
in celo.

Ac semper Deus illustre testimonium proposuit, quò
voluit agnosci & discerni, sicut in Decalogo nominat eductionem ex
Aegypto. Et antea dicunt patres: Deus Abraham, Deus Isaac, De-
us Iacob, id est, te verum Deum inuoco, qui te patefecisti Abrahæ &
ei promissionem tradidisti. Ac testimonia omnia referantur ad fili-
um.

Si t igitur directa mens ad hunc verum Deum, qui se pa-
tefecit misso filio Domino nostro Iesu Christo, crucifixo & resuscita-
to. Et quidem nominatur persona initio precationis, & cogitur,
quæ cuiusq; sit proprietas, vt discernatur Deus ab omnibus creatur-
is, & discernatur inuocatio vera ab Ethnica inuocatione.

FORMA PRECATIONIS.

OMNIPOTENS AETERNE & vere Deus, æterne pater
Domini nostri Iesu Christi, qui te patefecisti immensa bonitate, &
clamasti de filio tuo, Domino nostro Iesu Christo: Hunc audire:
creator cæli & terræ, & Ecclesiæ Angelicæ & humanæ, vna cum filio
tuo coæterno, Domino nostro Iesu Christo, crucifixo pro nobis & re-
suscitato, qui est imago tua, & $\lambda\omicron\gamma\omega\varsigma$ ad Ecclesiam missus: Et cum
Spiritu sancto tuo, sapiens, verax, bone, iuste, iudex, misericors, caste
& liberrime, qui dixisti: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut
conuertatur & viuat. Item: Inuoca me in die tribulationis, & eripi-
am te, & glorificabis me. Item: Effundam super domum David spi-
ritum gratiæ & precum, confiteor tibi, me miserum peccatorem
horribiliter peccasse, & doleo toto corde quod offendite, Miserere
mei, & exaudi me, & iustifica me, per & propter filium tuum, Do-
minum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis, & resuscita-
tum, $\lambda\omicron\gamma\omega\varsigma$ $\kappa\alpha\iota$ $\iota\sigma\chi\iota\sigma\alpha\varsigma$ $\sigma\upsilon$ $\alpha\iota\delta\iota\omicron\upsilon\varsigma$, quem voluisti pro nobis esse victimam,
 $\kappa\alpha\iota$ $\mu\alpha\tau\iota\sigma\tau\epsilon\lambda\omicron\varsigma$ $\kappa\alpha\iota$ $\iota\sigma\chi\iota\sigma\tau\epsilon\lambda\omicron\varsigma$, & sanctifica me Spiritu sancto tuo, &c.

SIMVL etiam cogitet mens de distinctione personarum. Pater
est persona quæ genuit filium $\lambda\omicron\gamma\omega\varsigma$, & per eum vult innotescere, &
cum filio & Spiritu sancto omnes creaturas condidit & sustentat, &
in baptismo filij dicit: Hic est filius meus dilectus, &c. **F**ILII
nominatur $\lambda\omicron\gamma\omega\varsigma$, & respectu patris, quia est integra eius imago, &
respectu

respectu nostri, quia persona est, ad Ecclesiam missa, ut primum profertur ex sinu patris mirandum decretum de reconciliatione & restitutione uitæ æternæ, quod omnibus Creaturis ignotum est, & deinceps semper absit Ecclesie, illustret promissionem in Prophetis, & sustinet & restituit ministerium Euangelij, & immediate efficitur in eo ministerio, & assumpta humana natura sit propitiatio pro nobis, & ostendat quomodo pater agnoscendus sit ipso agnito, & ut ipse sit efficax in ministerio, dicat consolationem, uoce Euangelij, iustificet credentes, seruet ministerium Euangelij, iuxta dictum. Dat dona hominibus, &c. Et per ipsum detur Spiritus sanctus, sicut expressè in Actis dicitur. capite 2. Dextra Dei exaltatus promissionem Spiritus sancti accipiens à patre effudit eum, &c. Et rectè inquit Athanasius: Quandoque dicitur esse in homine Spiritus sanctus, est illi per uerbum.

SPIRITVS sanctus est agitator tanquam flamma, quæ accendit affectus in corde tales, qualis ipse est, amorem Dei, & leticiam in Deo, & alias uirtutes. 267. ostendit menti patris uoluntatem patris, uoce Euangelij, noticiam accendens, Spiritus sanctus est uita flamma agitatrix in corde.

Hæc proprietates personarum in uera inuocatione cogitandæ sunt, & sæpe profectio Symboli recitanda est, & discernenda nostra inuocatio ab Ethnicis & Arijlii erroribus, &c. **II.** Secunda consideratio est præceptum. Cogitandum est, Deum uelle coli petitione gratiæ & aliorum donorum, ut discernatur à malis naturis, & tribuatur ei hic honos, quod sit sapiens, bonus, beneficus, dator uitæ, sapientiæ, & aliorum bonorum, & quod uelit sua bona nobis communicare, sicut Psalm. 49. Inquit, se uelle hoc modo coli: Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, &c. Ac ut uolatio præcepti, Non occides, displicet Deo, sed displicet & uiolatio secundi præcepti, neglectio inuocationis, cum dictum sit: Petite & accipietis.

III. Tertia consideratio est conuersionis. Dicat enim aliquis: Quid petam? cum scriptum sit: Peccatores Dominus non exaudit. Hic tenenda est uox iuramenti: Vni ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Non perseveret inuocans in sceleribus contra conscientiam, sed uere conuertatur ad Deum. Et in qualibet uera inuocatione laus aut crescit conuersio seu poenitentia ad Deum. Ioel. Sciamus uocanda uestra & conuertimini ad Dominum Deum uestrum quia misericors est & prænitet eum mali.

III. Quarta consideratio est promissionis. Neque conuersio ad Deum, neque inuocatio fieri potest, nisi simul promissione gratiæ & fiducia mediatoris erigatur. accedamus ad Deum iuxta dictum ad Ephesios: Per hunc audeamus accedere confuenter per fidem in ipsum. Necessè est igitur primum fide accipere remissionem peccatorum, & reconciliationem, & illi

mere, quod inuocatio placeat Deo, nec sit irrita. Deinde & cætera promissiones de alijs beneficijs & mitigatione calamitatum intuentur sunt. Necesse est enim semper in conspectu esse doctrinam de distinctione promissionum.

PRIMA & summa promissio est, Promissio gratiæ & vitæ æternæ propter mediatorem dandæ gratis. Hoc summum bonum est, quod vult Deus accipi, etiam omnibus bonis corporalibus amissis, iuxta dictum Iob: Etiam si occidet me sperabo in eum. Nec peti alia bona possunt, nisi prælucente promissione gratiæ, iuxta dictum: Nemo potest accedere ad patrem, nisi per filium. Item: Quomodo inuocabunt, nisi credant? Item: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.

ALIAE sunt promissiones de bonis necessarijs in hac vita. Quia enim Deus in hac vita colligit Ecclesiam voce Euangelij, & non aliter, tribuit etiam aliqua vitæ spacia, & politias & OEconomias, iuxta dictum: Non mortui laudabunt te Domine. Item: 1. Timoth. 4. Pietas promissionem habet præsentis vitæ, & futuræ. Item: Primum querite regnum Dei, & cætera adijcientur vobis. Scit pater vester cælestis, uos illis rebus indigere.

V. Quinta consideratio est de fide. Hic primum sciendum est, fidem quæ petit remissionem, reconciliationem & vitam æternam, gubernationem animæ, oportere in specie hæc ipsa bona petere & expectare, sine conditione. Quia Deus vult hæc nominatim peti. Et non habere hæc dona est mapere hostem Dei, & contumelia Deum afficere. Ideo dictum est: Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur, & viuat. **Sæd** fides, quæ petit bona corporalia, vt David petens se reduci in regnum, petit cum conditione: Si Deo placeat. Qui vtrunq; sciendum est, & petenda esse hæc bona, & tamen Ecclesiam subiectam esse cruci, & debere obediuntiam Deo, iuxta dictum: Humiliamini sub potenti manu Dei.

Næc tamen irrita est precatio. Aut enim tollitur pœna, aut mitigatur, vt Iob, David, Manasses, restituantur in sua regna. Amariæ & Osiæ mitigatæ sunt pœnæ, sicut plerunq; fit, iuxta dictum: Non faciam furorem iræ meæ. Item: Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Item: Domine ne in iudicio corrigas me, ne ad nihilum redigas me.

DENIQVE necesse est firmissime hanc regulam tenere: Etiam amissis omnibus bonis corporalibus, & cum vita corporis certo amittenda est, tamen retinenda est promissio gratiæ & vitæ æternæ, iuxta hæc dicta: Ezechielis 18. Viuo ego, dicit Dominus: nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur, & viuat. Item: Sic Deus dilexit mundum, vt filium vnigenitum dederit, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Item: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, Ego reficiam uos. Item: Etiam si occidet me sperabo in eum. Item: Sacri-

Cc sic iura

ficium Domino spiritus contritus. Cor contribulatum Deus non despiciet. Et est æternum & immutabile mandatum omni tempore, ut ad Deum conuertamur, iuxta dictum: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, Et non volens conuersionem, nec peccati remissionem manet hostis Dei, & contumelia eum afficit, iuxta dictum: Qui non credit in filium, ira Dei manet super eum. Ideo omni tempore necessaria est conuersio. VI. Sexta considerato est rerum petendarum, sicut Iohannes inquit: Quicquid petieritis secundum voluntatem eius, dabit vobis, id est, non sunt res petendæ prohibitiæ à Deo, sed quarum petitio congruit cum Decalogo, & promissionibus diuinis de bonis spiritualibus & corporalibus, sicut supra dictum est, de distinctione promissionum. Et promissiones aliæ loquuntur de bonis spiritualibus, aliæ de bonis corporalibus. Vt: Quanto magis petet vester cœlestis dabit spiritum sanctum petentibus. Item: In hora meâ in die tribulationis, & eripiam te. Item: Si quis egerit fides, petat sine dubitatione, & dabitur ei. Item: Pater & Mater diliguerunt me, Dominus autem suscepit me. Item: Timentis Dominum non deerit omne bonum. Item: Multæ tribulationes iustorum, sed ex omnibus liberabit eos Dominus. A c vult Deus exerceri inuocationem & fidem petitione corporalium rerum, iuxta dictum: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, &c. SEMPER autem regula tenenda est, In petitione corporalium bonorum oportet præluere fidem, quæ accipit promissionem gratiæ, iuxta dictum: Nemo accedit ad Patrem, nisi per filium. Item: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Item: In Christo omnes promissiones sunt ratæ.

ADDEND A est & admonitio de mora, & de modo liberationis. Vult Deus suam præsentiam agnoscere in Ecclesia, & à se peti & expectari auxilium, vult exerceri fidem, inuocationem & spem, nec vult consilia humana seu cogitationes humanas dominari in gubernatione uitæ, sed vult seiri, Ecclesiam diuinitus regi, sicut inquit: Ne dicatis, manus nostræ hæc fecerunt.

NON igitur dat euentus mox, & ijs modis, quos cogitat humana ratio. Vt, Quanquam promiserat Deus, se seruaturum esse Iherosolimam Iuda, donec nasceretur Messias: tamen erant inanes imaginatiões hostium Ieremiæ, qui disputabant, non posse deleri templum & ciuitatem eius temporis. Poterat enim Deus aliter & seruare & restituere, quam ipsi cogitabant. Et reuera maior gloria fuit populi in exilio, quam domi fuisset, quia propagata est doctrina in magna parte regni Babylonicæ & Persicæ, sunt conuersi quatuor reges, Nabuchodonosor, Ephimerodas, Darius Medus, & Cyrus. Edita sunt miranda testimonia, seruati tres viri in igne, Daniel inter leones, &c. O F I V R G A T igitur Iudith cap. 8. ciues, qui dies quinq; præsumunt

Qui estis vos, qui tentatis Dominum, posuistis tempus miserationis Domino? SED regula tenenda est de circumstantijs, Abacuc 2. Si moram fecerit expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit. Et Lucæ 18. Oportet semper orare, & non languescere, &c. HÆ regulæ non solum de tempore, sed etiam de alijs circumstantijs intelligantur, videlicet de modo liberationis, de personis. Vt, longe aliter liberati sunt Ioseph, Ionas, & plurimi omnibus temporibus, quam ipsi cogitauerunt, vt Psalm 71. dicitur: Liberauit pauperem, cui non erat adiutor. Psalm 135. Pater & mater dereliquerunt me, Dominus autem suscepit me. Et in dicto Iosaphat: Cum nescimus quid agendum sit, oculi nostri ad te Deus noster, &c.

QVID EST GRATIARVM ACTIO?

RESPONDEO. In genere est professio, vnde sit acceptum beneficium, & est obligare sese ad mutua officia. Nam gratitudo est virtus composita ex duabus summis virtutibus, scilicet, ex veritate & iusticia. Veritas profitetur, vnde sit acceptum beneficium. Iusticia præstat mutua officia. Ergo ingratus & mendax & iniustus est.

VLT autem Deus intelligi ab hominibus gratitudinem, ut eam erga ipsum præcipue exerceamus, & simus erga ipsum veraces & officiosi. Ac sicut petitionem in inuocatione postulat, ut agnoscamus esse Deum, & esse omnipotentem, præsentem, opitulatorem, ut in tali agnitione se nobis communicet: Ita gratiarum actionem postulat, vt perseueret hæc vera agnitio, vt deinceps etiam sese nobis communicet.

EST ergo Gratiarum actio erga Deum veritas, quæ profitetur, accepta esse à Deo beneficia, & vere esse Deum, esse omnipotentem, præsentem & opitulatorem. Et est opus iusticiæ, quæ obligas ad officia Deo grata.

CVM igitur mendacium & iniusticia sint horribilia peccata, manifestum est, ingratitude erga Deum esse horrendum scelus. Vt, cum Alexander cogitat, casu aut sua virtute partum esse regnum, nec fatetur à Deo datum esse, mendax est, & quidem contra Deum: postea fit iniustus, non reddens Deo officium debitum, cum iubet sese coli, ut Deum.

EX hac puerili commonefactione & descriptione gratitudinis intelligi potest, maxime necessarium cultum esse gratitudinem. Et cum extinguitur agnitio Dei in ingratis, Deus desinit se eis communicare. Sic ut plerunq; sectari homines post accepta beneficia ludunt talibus cogitationibus: Fortassis casu liberatus es, &c. Ita amittunt agnitionem Dei, & præsentiam Dei, cum sequenti commemoratione ac professione alere & confirmare agnitionem Dei & fidem debent.

CVM igitur gratiarum actio sit necessarius cultus, plerunq; præcepta coniuncta sunt de petitione & gratiarum actione, quia utraq; necessaria est ad agnitionem Dei. Psalm 46. Inuoca me in die tribulationis.

740 DE INVOCA. PECA. ET GRAT.
bulationis, eripiam te, & glorificabis me, &c. PRODIIT
autem commonefactionis cauffa quotidie expreffis verbis, & eadem
forma verborum recitare gratiarum actionem.

FORMA GRATIARUM ACTIONIS
ad æternum Patrem.

OMNIPOTENS, æternæ, viue & vere Deus, æternæ Patris
Domini nostri Iefu Chrifti, creator cœli & terræ, & hominum, &
omnium creaturarum, & confervator, dator vitæ, legis & fapientie,
& opitulator, vna cum filio tuo cœterno, Domino nostro Iefu Chri-
fto, λόγος καὶ ἰσὸς αὐτῷ, & Spiritu fancto tuo, effuso in Apoftolos,
cæfto & veraci, fapient, bone, verax, iufte, iudex, mifericors, cæfte, li-
berrime, tibi gratias ago, quod reuelafli te nobis, quod miffifli fili-
um, & voluiffi eum affumere humanam naturam inenarrabili fapientia
& bonitate, & fieri victimam pro nobis, qui colligis æternam Ec-
clefiam, & quod inter nos colligis, feruas ministerium Euangelij, das
Spiritu fanctum & vitam æternam, & quod das nobis bona corpori
nostro neceffaria, & mitigas ac tollis poenas, deniq; pro omnibus
beneficijs animæ & corporis, &c.

AD ÆTERNVM FILIVM.

AGO tibi gratias omnipotens fili Dei, Domine Iefu Chriftè,
verbum & imago æterni Patris, crucifixe pro nobis, & refufcitatus,
nate ex virgine, Emanuel, fedens ad dextram æterni Patris, colligens
& feruans æternam Ecclefiam voce Euangelij, quod patefeciffi nobis
æterni Patris mifericordiam, & decretum de redemptione, & femper
collegiffi Ecclefiam, & affumiffi humanam naturam, es mediator,
redemptor, iuflicator & faluator, es fummus facerdos, femper inter-
cedens pro nobis, dans vocem Euangelij, & es efficac per eam, & das
remiffionem peccatorum, & es rex, colligens, feruans & protegens
Ecclefiam, & das Spiritu fanctum ijs, qui ad te conuertuntur, &
Euangelij voce fe fuffentant, & reftituens in nobis iufliciam & vitam
æternam, das lucem in confilijs, intellectum verbi tui, depellis Dia-
bolos, das etiam bona corpori neceffaria, &c.

AD SPIRITVM SANCTVM.

AGO tibi gratias omnipotens, verax, cæfte, Spiritus fanctè,
procedens ab æterno Patre & filio, Domino nostro Iefu Chrifto, ef-
fufè in Apoftolos, quod confirmas corda noftra, ut firmiter affentia-
tur verbo Dei, & flectis ea ad inuocationem Dei, & ad omnes motus
legi diuinæ congruentes, & lætificas ea, ut acquiefcant in Deo, pre-
tant & expectent omnia beneficia Dei. Das etiam bona corpori ne-
ceffaria, &c.